

CLARISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, DOCTIS,
SIMIS VIRIS.

Dn. M. SIGISMUNDO EVENIO, Magdeb.
Dn. M. GEORGIO ANDREÆ FABRICIO, Mulhus.
Dn. M. ANDREÆ BACHMANNO, Northus.

Gymnasiorum Directoribus Vigilantissimis

Præceptori, Affini, Conterraneo, fautoribus atq; amicis colendis.

Felicem Annum.



*Q*uæ tulit punctum qui miscuit utile dulci, dicit Poeta. Rara est hæc mixtura, tædium molestiæq; innumeræ, & præter necessitatem multiplicatæ plurimos ab utilium cognitione retrahunt, deterrent.

Expertus loquor, ultra decennium in pulvere Scholastico privato decertans, Methodum Grammatices sub incudem multoties revocavi, tandem rogatu amicorum Epitomen edidi, festinanti calamo conscriptam. Cui adjungo nunc lusum Syntacticum Regulas potissimas, ad quas (exceptis græcis & figuratis constructionibus) reliquæ facili negotio reducuntur.

Construens vincit, constructum vincitur.

His legibus.

1. Nominativus vincit verba finita omnia.

Per Reg. Nom. præced.

2. Genitivum vincunt omnes casus.

Substant: cum Subst.

3. Dativum omnia verba.

Quodlibet Verbum.

4. Accusativum Activa.

Activa Verba omnia.

5. Ablativum passiva verba.

Passivorum proprius

6. Infinitivum verba reliqua.

Infinitivi adduntur.

Qui casus vel tempora alias vincuntur per regulas dictas, rectè adjiciuntur.

Sic etiam rectè junguntur Nominativus cum alio Nominativo.

Per Regulam: Adjectivum & Substantiv: vel appositionem.

Nec non præsens cum præsentis.

Per R. Conjunctio similia tempora.

Possunt & aliæ leges constitui, non ad Syntaxeos, sed conjugationis & declinationis exercitium pertinentes.

Ut: Nominativus primæ declinationis vincat 2, is tertiæ, iste quartæ, &c.

Sic præsens primæ, præsens secundæ Conjug.

Sed & consequentia setempora, casus, &c. Ordine in una Conjug. declinatione attendi possunt.

Et similes casus temporaq;. Prout lusum moderare, variare convenerit.

Vobis autem hunc lusum dedicare volui, quod sciam vos unice juventutis Scholasticæ bonum quærere, quæsitum approbare, approbatum promoveret Dudum scilicet superastis sævissimum illum Tyrannum, Errorem inveteratum, & rationi rectæ experientiæ comprobata in omni institutione imperium concessistis, prælucente fide & pietate, comite amore proximi.

Quibus cum destituantur multi, licet Atlantes sibi videantur Scholarum, Ecclesiam tamen non tam ædificant, quam destruunt. Sed manum de tabula.

Valete viri animitus dilecti & favete. Si magnanimum illum Spartano- rum Regem, si maximum illud Germaniæ lumen pueris colludere non puduit, Ludendo pueros docere & sic utilibus dulcia miscere nec vos poenitebit.

Dabam: Halæ. Anno 1630. 15. Januarii.